

per infrascriptum Secretarium SSmo. D. N. Pio VII. P. M. relatione, S. S. S. C. Responsa in omnibus adprobavit et confirmavit et Decretum in Actis ejusdem Congregationis referri mandavit. n. 4579 ad 1 die 3. April. 1821.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM.

Festa Nat. S. Joan. Bapt. et SS. Apostolorum Petri et Pauli solemnioribus adnumerantur, quae tali tantaeque religione et solemnitate, ex Ecclesiae instituto, celebrari ubique debent, ut alia quaecumque eadem die occurrentia, etiam 1. cl. excludant, qualia sunt *Patroni principalis loci seu Ordinis, nec non Titularis Ecclesiae ac ejus Dedicatio, ita ut nequeat fieri Officium de dicto Festo, sed transferri, seu respective mutari debeat in diem proximam non impeditam.* Ita Meratus ad Gavantum *Rubr. Breviar. sect. 3. cap. 10 num. 2.* Quod declaratum fuit a S. R. C. praesertim in *Senen. 11. Maji 1743 dub. 5* hisce verbis: *Primaria Festa S. Joannis Bapt. et SS. Apostolorum Petri et Pauli . . . excludunt omnia alia Festa in ipsis occurrentia, excepta Solemnitate Corporis Christi.* Una igitur est Solemnitas Corporis Christi, quae praestat, et cui ambo illa cedere locum debeant: Quis tamen forte erit, qui hujusmodi innixus Decreto pulet Festum quoque *Cordis Jesu* (ubi ritum obtinet 1. cl.) eodem privilegio donandum, cum ejusdem sit identicae dignitatis, et aequae ac illud ad Dei Filium hominem factum pertineat. Non abnuerem, si, ut objectum et ritus, partes essent etiam Festi ratio et qualitas. Verum discrimine est opus. Utique utriusque Festi unum est dignissimum objectum, cui nullo pacto comparari possunt Praecursor et Apostolorum Principes: attamen hoc in casu Festa in eorumdem honorem

a primis ferme Ecclesiae saeculis instituta in occursum cum altero *Cordis Jesu*, hujus majori dignitate minime attentata, pluribus de causis praevalere debent, veluti clare patet, dummodo recolere non pigeat, quae in antecessum notata sunt et dant decidendi regulam.

Ideo in occursum praestare debet *Festum Corporis Christi*, quia simul concurrunt major dignitas, solemnitas ritus, praeceptum illud servandi in universo Orbe Catholico. Sed par non est ratio quoad recens probatum *Festum SS. Cordis Jesu*, quod licet, si princeps objectum spectetur, aequae dignum sit, ac alterum SSmi. *Corporis Christi*, primarium tamen non est, non universale, sed petentibus peculiariter concessum, neque apud omnes, quibus indultum est, in praecepto habetur, imo ut plurimum in simplici facultate: et licet pro aliquibus locis, ex speciali gratia, ad ritum 1. cl. elevatum fuerit, non ideo tamen desit esse secundarium. Quamobrem in occurrentia attendenda non est major dignitas, neque locum habet Rubrica, quae inter Festa aequalis ritus illa Domini aliis omnibus praeferenda esse jubet: nam eadem intelligenda est, caeteris paribus, de Festis aequae primariis, non autem de occursum Festi secundarii majoris dignitatis cum primario minoris, sed aequalis quoad ritus solemnitatem. Neque repugnat eadem Rubrica, neque obstant S. R. C. Decreta, imo favent. Exempla habemus in occurrentia Festi *Dedicationis Ecclesiae* cum aliis Festis aequalis ritus, sed minoris dignitatis; et Patrocinii S. Joseph, ubi ritu gaudet II. cl., cum Festis S. Marci Ev. et SS. Apostolorum Philippi et Jacobi.

Etenim invaluerat opinio, quod Anniversarium Dedicatiois Ecclesiae, utpote *Festum Domini*, alia omnia prae-

staret, tam in occurrentia, quam in concurrentia, sed quoniam Rubrica nihil decernit, imo in tabella concurrentiae vix illud ponit solummodo ante Patronum loci, vel Titulum Ecclesiae; quoniam insuper ex ea opinione plura oriebantur dubia: re maturius discussa S. R. C. satius duxit, se conformare cum praefatae tabellae dispositioni, tum Decretis antiquis, quae praelationem dant aliis Festis aequalis ritus, uti illa sunt S. Joannis Bapt. et omnium Sanctorum, ut in *Aquileien. 21. Aug. 1014 et Sabinen. 5. Mart. 1665.* Cur autem ita? Quia licet Dedicatio Ecclesiae Festis Domini adnumerari velit, non ullum respicit peculiare Mysterium, sed generalem habet relationem ad Deum, cui dedicatur Templum ad Divina Mysteria in eo celebranda; sed hujusmodi ratio communis est etiam Festis Sanctorum, quae licet instituta sint ad Coelicolas honorandos, principaliter tamen ad Deum diriguntur. Quamobrem Dedicatio Ecclesiae, si ad Festa Domini referendum sit, ut secundarium, non primarium habendum erit, ac propterea jure merito S. C. a prima opinione recedens, standum tabellae decrevit, et generalibus Rubricarum praeceptis inhaerens, in una *Ordinis Clericorum Minorum Toletanae Dioecesis* ad quaesitum nempe: *Cum jam declaratum sit a S. R. C. Dedicatioem Ecclesiae esse Festum Domini, quaeritur: an Octava Dedicatiois propriae Ecclesiae dignior sit Octava Conceptionis B. M. V. in Hispania, ubi celebratur ritu dupl. 1. cl.?* et quatenus affirmative: *an pariter dignior sit Octava Assumptionis ejusdem B. M. V. et omnium Sanctorum?* respondit sub 13. Mart. 1803: *Negative et serventur Rubricae;* et iterum in Brixiens. 20. Sept. 1806 id ipsum magis declaravit. Haud tamen putandum est S. C. posterioribus hisce Decretis quid-

quam decidere voluisse de qualitate Festi Dedicatiois, imo quaestionem intactam reliquit. Nihilominus, ut a prima illa sententia, quam tenuisse visa est in una *Ordinis. Min. Obser. Reform. S. Francisci 27. Mart. 1779 et in altera Ordinis Minor. Conventualis Provinciae S. Antonii Patav. 10. Mart. 1787.*, recederet, satis animadvertisse ei fuit, quod licet *Festum Dedicatiois* solemniter ritu celebretur, quatenus velit Festis Domini adnumerari, minime tamen principalibus, quae ad hanc classem pertinent, adscribendum, sed potius habendum esse ut secundarium. Neque praetereundum, quod Dedicatio Ecclesiae, quaecumque in classe reponatur, localis tamen et peculiaris est; ideo praeferenda Festis dumtaxat aequae peculiaribus et localibus, uti sunt Patroni et Titulares locorum et Ecclesiarum, non autem illis quae juxta ordinem tabellae duplicium ritus 1. cl. praeceptive sub gravi obligatione ab omnibus Christiani Orbis Ecclesiis diebus propriis recolenda sunt. Ita in praesenti casu, licet idem sit objectum Festi SSmi. *Corporis Christi* et alterius *Sacri ejus Cordis*, illud tamen principem locum tenet, istud secundarium; illud universale est, istud particulare; illud in praecepto, istud in facultate: idcirco illud nemini cedit, non item istud; quia in illo attenditur in paritate ritus major dignitas; in isto vero, ex rationibus supra allatis, qualitas *Festi secundarii*.

Id magis confirmatur ex novissimo S. C. judicio de occurrentia Patrocinii S. Joseph, ubi gaudet ritu dupl. 2. cl., cum Festis SS. Apostolorum et Evangelistarum. In anteaetis Decretis data fuerat praelatio *Festo Patrocinii*, ut magis digno; re tamen postea maturius discussa, S. C. a prima sententia recessit, quia Rubricarum praescripto et spiritui magis congruere cognovit, ut tam in occurrentia, quam in con-

currentia cum Festis aequalis ritus, secundaria primariis, facultativa praeceptivis cedere debent. Ita aperte declaratum video in una *Ordinis Carmelit. Excalceat. Cong. Hispaniae*. Magna cum extrinseca solemnitate populique concursu, in ejusdem Ordinis Ecclesiis peragebatur Festum Patrocinii, quod ex speciali indultu obtinuerat Octavam: nihilominus ad dubium: Num in concursu et occurso praefendum esset Apostolis? respondit: Negative, cum agatur de Festo secundario; et rogata, ut, *attenta solemnitate maxima, gratiam praelationis indulgeret*; pariter respondit: Negative sub die 16. Febr. 1781.

Cum igitur ex his plane sequatur, in aequalitate ritus, concurrentibus simul Festis secundariis cum primariis, non esse attendendam majorem dignitatem; propterea jure merito proposito Dubio responsum fuit, adjudicandam esse praelationem primariis Festis S. Joannis Baptistae et SS. Apostolorum Petri et Pauli.

Ad dubium: Quae regula servanda sit in praelatione et translatione, si cum Festo Sacri Cordis Jesu ritus dupl. I. cl. concurrant alia Festa aequalis ritus, puta, Dedicationis Ecclesiae, Patroni, Titularis etc.?

Et S. eadem R. C. . . . censuit respondendum:

„Primaria tantum Festa Civitatum et Dioecesium, nempe: Dedicationis Ecclesiae, Patroni vel Titularis esse in casu praefenda; et Festum SSmi. Cordis Jesu transferendum“.

Facta autem de praemissis omnibus per infrascriptum Secretarium SSmo. D. N. Pio VII. P. M. relatione; S. S. S. C. Responsa in omnibus adprobavit et confirmavit et Decretum in Actis ejusdem Congregationis referri mandavit. n. 4579 ad 2 die 3. Apr. 1821.

NOTA GARDELLINI AD HOC DECRETUM.

Idem debet esse judicium, ubi eadem militat ratio. Atque in occurso Festi Sacri Cordis Jesu cum Patrono loci, Titulo aut Dedicatione Ecclesiae, illud, quod secundarium est, coincidit cum primario: huic semper praelatio, et non illi concedi debet. Sicuti autem ut supra vidimus, illud non praestat principalia Festa S. Joannis Bapt. et SS. principum Apostolorum Petri et Pauli, quae solemnissima sunt in toto Orbe Catholico; ita etiam nequit anteferi Patrono, Titulo, Dedicationi, quae primaria et sub praecepto servanda sunt in Ecclesiis, civitatibus et locis, in quibus peragi ista debent. Sacri vero Cordis Festum, etsi fruatur aequali ritu, hoc tamen gaudet non ex speciali titulo, qui hujusmodi, ut illa, exigit solemnitatem, sed ex privilegio concessum in simplici facultate est. Quod si occurrentia sit cum altero Festo ex indultu, quin rationem repetat a Titulo, Patronatu, Dedicatione, ad ritum I. cl. elevatum, huic certe praefendum erit Sacri Cordis Festum, quia, cum ambo ex privilegio sint, in paritate ritus aliarumque circumstantiarum digniori minus dignum cedere debet. Id declaravit S. C. in responso ad II. hoc Dubium, praelationem asserendo Festis tantum primariis Civitatum et Dioecesium, nempe Dedicationis Ecclesiae, Patroni vel Titularis.

Ad dubium: Quod si declaretur, faciendum esse Officium Nativitatis S. Joannis Bapt., SS. Apostolorum Petri et Pauli, Dedicationis Ecclesiae propriae, Patroni vel Titularis Ecclesiae; Quaeritur: quomodo, et in quam diem reponendum sit Officium Sacri Cordis Jesu?

Et S. eadem R. C. . . . censuit respondendum:

„Festum SSmi. Cordis Jesu trans-

ferendum esse in primam diem non impeditam, juxta Rubricas“ n. 4579 ad 3 die 3. Apr. 1821.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Rubrica de occurrentia et translatione Festorum non excipit, non distinguit, sed expresse jubet, ut quodcumque duplex, si per accidens fieri quandoque nequeat in die assignata, transferri debeat non in proximam, sed in primam diem non impeditam alio Festo dupl. vel semidupl.: quambrem haec regula tenenda est, etiam quoad Officia I. cl., quae transferenda sunt, servato tamen ordine ritus, dignitatis et Calendarii: numquam vero depellunt e sua sede Festa, quae habent in Calendario designatam diem, ut in ea aliquod ex translatis reponatur. Singulare privilegium est Festivitatis S. Joannis Bapt., quae occurrens cum solemnitate SSmi. Corporis Christi transfertur in diem sequentem, a quocumque Officio impeditam ut ex Decreto S. R. C. in *Ein-sidlen die 23. Jan. 1736*. Consequitur ergo Festum Sacri Cordis Jesu transferendum esse in primam diem non impeditam. Eoque magis, quia recens institutum secundarium est, et pro particularibus locis ad ritum I. cl. ex gratia elevatum, cui, deficiente titulo localis relationis, non competeret nisi dupl. maj.

Ad dubium: 1. An, occurrente Fer. VI. post Octavam SSmi. Corp. Chr. quocumque Officio ritus dupl. maj., fieri debeat de hoc Officio vel potius de Sacratissimo Corde Jesu, ubi est concessum ritu dupl. maj., ratione dignitatis?

2. An, quoties fieri debeat de dupl. maj. occur., Officium Sacratissimi Cordis Jesu transferri possit ad primam insequentem diem liberam, ac eidem praecedentia competat ratione

dignitatis super alia Officia ritus dupl. maj. translata?

3. An occurrente Officio Sacratissimi Cordis Jesu sub ritu dupl. maj. pridie Kal. Julii, fieri de ipso debeat, vel potius de Commemor. S. Pauli Ap., quae quamvis gaudeat tantum ritu dupl., attamen habetur tamquam continuatio praecedentis Solemnitatis SS. Apostolorum?

Et S. eadem C. . . . rescribere rata est:

Ad 1. „Negative ad secundam“.

Ad 2. „Affirmative“.

Ad 3. „Affirmative ad primam partem, negative ad secundam“.

Atque ita rescripsit servarique ubique mandavit. n. 5114 ad 5, 6, 7 die 11. Sept. 1817.

Si Festum S. Cordis Jesu occurrit die, qua in Dioecesi Arelina agitur sub ritu dupl. II. Cl. de SS. Martyribus Laurentino et Pergentino, qui ibi Christianam Professionem sanguine obtestari non dubitarunt, utrum horum Officiorum transferendum sit?

Et S. eadem C. . . . respondendum censuit:

„Transferendum in casu Officium Sacratissimi Cordis Jesu uti secundarium“.

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 5194 ad 6 die 17. Septemb. 1853.

Ad dubium: An festum SS. Cordis Jesu sit praefendum tamquam dignius, si cum eo occurrat festum s. Barnabae ap., quod est ejusdem ritus? S. C. resp.: Negative in occurrentia, quia est festum secundarium. Die 22. Maji 1841.

i) Vesperae.

Concurrentibus 2. vesp. Octavae Corp. Chr. cum 1. vesp. festi ss. Cordis Jesu, integras vespas recitandas esse diei octavae Corp. Chr. absque commem.

festi SS. Cordis Jesu. n. 4357 ad 3 die 17. Aug. 1771.

Ad dubium: An iis in locis, in quibus Officium Sacratissimi Cordis Jesu gaudet ritu dupl. II. Cl., habeat etiam primas Vesperas proprias cum commemoratione Octavae SSmi. Corp. Chr., vel an Vesperae esse debeant de memorata Octava?

Et S. eadem C. . . . rescribendum censuit:

„Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam“.

Atquae ita rescripsit, die 12. Martii 1836. n. 4772 ad 1.

6) SS. Cordis B. V. M.

Ad dubium: Insequenti (2.) dominica Julii assignatum est festum s. Cordis B. V. M., quod superioribus annis diversimode (in Dioec. Piscien.) ad diversas dominicas fuit amandatum in casu impedimenti. Recte necne fuit translatum? S. C. resp.: Transferri potest, si in Indulto facta sit facultas et quidem designata die; alias eo anno omittendum. n. 4859 ad 3 die 3. Aug. 1839.

LUCANA.

In universa Dioecesi Lucana Dom. V. post Pentecosten fit Officium Sacri Cordis B. M. V., quod in Ecclesia Clericorum Regularium Matris Dei celebratur magno Populi concursu, sed ritu dupl. majori, ut in Calendario Dioecesis. Cum in Dominica praecitata quandoque cadit solemnitas SS. Apostolorum Petri et Pauli, quandoque S. Paulini Patroni principalis, utraque Festa I. cl. cum Octava: propterea supradictum Officium Sacri Cordis pro iisdem etiam Clericis Regularibus transferendum. Utroque in casu unica Missa sollemnis canitur de Sacratissimo B. V. Corde, quod asseritur posse ex Rubricis Missalis de Translatione Fe-

storum titulo VI., quamvis plurimi contradicant. Proposito Dubio S. R. C. a Clericis Regularibus Congr. Matris Dei Lucae de gentibus quaeritur: quid sentiat?

Et Emi. ac Rmi. P. S. tuendis Ritibus praepositi in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunati ad relationem proprii Secretarii rescribendum censuerunt:

„Abusum esse eliminandum. n. 4775 die 12. Martii 1836.

7) SS. Corporis Ch.

(*Exposit. et bened. cum SSmo. in festo et infra octavam.*)

Vd.: Octava SS. Corp. Chr.; Process. SS. Corp. Chr.; Missa in festo SS. Corp. Chr.

In dioecesi Limburg. et quantum quidem audere licet, alibi etiam, e. g. in dioec. Herbipol., Mogunt., Colou. et Trevir. usuvenit, ut in festo ss. Corporis Chr. et per octavam exposito sub missa SSmo. in Ostensorio non tantummodo juxta communem Germaniae morem ante et post missam populo cum Ostensorio benedicatur, sed intra ipsam missam post Epistolam trinae Sequentiae *Lauda Sion* strophae a sacerdote intonentur et a fidei plebe cantantur; ad tertiam autem bened. cum SSmo. impertitur. Eiusmodi, quas *angelicas* dicere amant, cum trina benedictione missae etiam extra laudatam octavam pro feriis quintis per annum in hon. SS. Sacramenti et in fundatorum def. suffragium fundatae reperiuntur. Quaeritur ergo:

1. Num tertiae inter ipsam missam benedictionis usus, ubi ex antiquo viget, per totum annum ferri et continuari possit?

2. Si affirmative, an ad Dioecesis loca, ubi nondum viget, valeat extendi?

3. Si primum negetur, an saltem

in festo Corp. Chr. et per ejus octavam ille usus attenta consuetudine in omnibus etiam finitimis dioecibus vigente tolerari possit?

S. C. resp.: Negative in omnibus. (*Ad dub. IV.*) Die 7. Maji 1857. *Limburg.*

In festo Corp. Chr., prout in praecedenti dubio dictum est, triplex intra missam, impertitur cum monstratione benedictio: quarta post capta paramenta ante processionem, inter processionem ad 4 altaria, ad quae Evangeliorum initia pro generali Germaniae more cantantur, quater populo benedicuntur; nona demum cum SSmo. benedictio post reditum ad Ecclesiam functioni malutinae imponit finem. Quaeritur: Utrum frequens adeo benedictio ratione consuetudinis in hisce Germaniae partibus fere generalis sustineri possit et si forte negetur, quoties populo in hac sol. occasione benedicendum sit?

S. C. resp.: Intra Ecclesiam non nisi una bened. in fine supplicationis; extra vero Ecclesiam benedictio dari poterit ad tramites decreti in Volaterrana*) diei 23. Sept. 1820. Die 7. Maji 1857. (*Ad dub. V.*) *Limburg.* Quamvis Rituale rom. de Process. in festo SS. Corp. Chr. n. 2 praecipit, ut sacerdos in missa duas hostias consecret, hujus tamen praecepti observatio passim et jamdiu obsolevit, siquidem ubique fere locorum in Germania jam ante missam populo cum Ostensorio benedicuntur, sicuti etiam post epistolam et SSmum. per totam missam exponitur.

Quaeritur: Utrum duarum hostiarum consecratio in hujus festi missa restitui debeat, an juxta consuetudinem in caeteris Germaniae regionibus etiam

*) Vd.: *Bened. cum SSmo.* (in process. decr. n. 4574.)

Decreta authentica.

in posterum omitti possit; et si primum affirmetur, an tunc benedictio et expositio ab ineunte missa omittenda sit? S. C. resp.: Servandas rubricas Ritualis. Die 7. Maji 1857 (*Ad dub. VI.*) *Limburg.*

8) Dignitas.

Cf.: *Translatio*; *Duplex* (dignitas); *Vesperae* (regulatio); *Fest.* (quo ritu etc.) *Festum ss. Nom. B. V. M.* (non transfert. decr. n. 4198).

Cum S. R. C. ex Decreto generali emanato sub die 12. Julii 1704*) rescripserit, quod in occurrence Festi Calendarii particularis et Festi Calendarii universalis cum paritate ritus, et sine excellentia majoris dignitatis faciendum sit de primo, translato secundo: in praesentiarum Magister caeremoniarum Episcopi Perusini pro majori dilucidatione illorum verborum: sine excellentia majoris dignitatis, S. R. C. demisse supplicavit.

Et eadem S. R. C. respondit: „Juxta votum Magistri caeremoniarum“. Et ita declaravit. Die 22. Augusti 1711.

Dignitas personarum attendenda est in solis eorum festis, quae expressa sunt in Rubr. Brev. tit. XI. n. 2. (Inter festa aequalis solemnitatis servetur hic ordo, ut festa Domini praeferebantur omnibus aliis, sicut festa B. V. M. festis Sanctorum, item festa Angelorum et Apost. caeteris aliis). Die 20. Julii 1686 in *Trident.* ad 2.

Duae sunt regulae, ex quibus in occurso duorum Festorum unum alteri praefertur: ea scilicet, quae oritur ex dignitate classis, altera vero, quae provenit ex dignitate Personae: unde si duo concurrentia Festa aequali gaudeant classe (hoc est paritate ritus), defici-

*) Vd.: *Translatio festi part. vel univers.* (decr. n. 3700.)

ente prima regula, recurrendum est ad secundam, nempe ad majorem Personae dignitatem. Ita Gavanti ad Rubric. Breviarii sect. 3 cap. 8 num. 6 *ibi*. — Undenam major dignitas attendi debet? Certe penes classem Festorum; nam prima classis dignior est secunda, in eadem vero classe attende Personas hoc ordine — Christum, B. Virginem, Angelos, S. Joannem Baptistam, Apostolos et alios juxta ordinem Litaniarum — et haec est excellentia majoris dignitatis, de qua loquitur supra-scriptum Decretum, et qua pariter deficiente in occurrentia Festorum, penitus parium faciendum est Officium illius de Calendario particulari, transferendo Festum Calendarii universalis.

Et ita etc. Salvo etc. Jo. Baptista Gamberuccius SSmi. Domini Nostri et S. Sedis Apostolicae sacrarum caeremoniarum Magister. n. 3841 die 22. Aug. 1711.

Cum jam declaratum sit, Dedicacionem Ecclesiae esse festum Domini, quaeritur: an Octava Dedicat. propriae Ecclesiae dignior sit octava Conceptionis B. V. M., in Hispania, ubi celebratur ritu dupl. 2. cl., et an pariter dignior sit octavis Assumptionis B. V. M. et Omnium SS. S. C. resp.: Negative. n. 4491 ad 3 et 4 die 12. Mart. 1804.

Ad dubium: An in *occurrentia* *) festorum ejusdem ritus et alias quomodocunque parium, sit eorum praelationis causa Religio aut etiam natio? S. C. resp.: Primo loco habebit Officium Ecclesiae particularis, 2. Ordinis, 3. Diocesis, 4. Nationis, 5. Ecclesiae universalis. n. 4044 (2do.) ad 1 die 23. Julii 1736; n. 4110 ad 6 die 22. Apr. 1741. n. 4180 die 29. Jan. 1746.

*) Vd.: S. Cajetanus (Off. decr. n. 4549 nota.)

— Quando festum dupl. maj. s. Gabrielis arch. et s. Benvenuti c. debet celebrari post octavam Paschae, debet celebrari ordine dignitatis. n. 4366 ad 5 die 4. Sept. 1773.

9) Diocesis.

Vd.: Festum (dignitas); Translatio festi part. vel univers. (decr. n. 3700); Officium particulare; Calendarium Diocesis.

10) Dupl. majus.

Vd.: Dupl. majus (quid est?)

11) Fixatio.

Ad dubium: An in fixatione attendenda sit anterioritas temporis et non superioritas ritus? S. C. resp.: In fixatione festorum attendi debet, quod praecipit rubrica 16. Breviar. rom. sub. n. 7 *de transl. festor.*, ut scilicet prius agatur de dupl., postea de semid. et inter plura duplicia, quod est magis solemne, prius semper celebretur, sive ex ritu sive ex dignitate majoritas ista solemnitatis proveniat; alioquin si sint omnino aequalia, unum ante aliud reponatur eo ordine quo erant celebranda in propriis diebus; eadem etiam militat ratio in fixatione, quae probaret in translatione.

Die 7. Decbr. 1743 ad 3. *In Mediolan.*

12) Fixum.

Vd.: Dies octava (an permittit etc.); Festum ad libitum (decr. n. 4078); Festum B. M. V. divini Past. matris (decr. n. 4745); Puritas B. V. M. (decr. n. 4769); Officium dominicae assignatum.

Ad dubium: In Rubricis particularibus Breviarii Franciscani pro Fratibus minoribus de Observantia, editi anno 1696, extat specialis Constitutio num. 15 dictarum Rubricarum his verbis expressa: — Quando autem plura Officia de praecepto eadem die in ali-

quibus locis ita fixe occurrunt, ut translatio alicujus seu aliquorum sit perpetua, tunc prima dies proxime non impedita assignata censeatur in perpetuum pro die propria Festi translati respective. — An haec Rubrica possit in usum deduci ab aliis alterius Congregationis Regularibus, ita ut censi possit ab illis Festa perpetuo transferenda, fixa esse in perpetuum ad primam diem non impeditam?

Et S. R. C. referente Emo. et Rmo. D. Card. S. Clementis respondit: „Negative“.

Et ita decrevit ac declaravit. n. 3749 ad 5 die 28. Augusti 1706.

13) Indictio et Mutatio.

Cf.: Ritus (mutatio); Calendar. Diocesis. (jus reform.); S. Gregorius PP. VII. (transl. decr. n. 4561 nota); Festum (ritus); Generales Religiosorum; Duplex (dignit.).

Non potuisse nec posse Episcopos nec Regulares elevare festa Calendarii romani ad nobiliorem ritum, puta, a semidupl. ad duplicem sine licentia Sedis Apostolicae. n. 772 ad 8 die 28. Oct. 1628.

Archiepiscopus potuit cum consensu populi et Cleri indicare Festum S. Augustini per Dioecesim Hispalensem de praecepto contradicente Capitulo. n. 821 ad 1 die 20. Junii 1629.

Communitas non potest indicare festa de praecepto, quae nec de consuetudine in Terra Tulphae servantur, nec ab Ecclesia romana praescribuntur exigendo mulctum contra inobedientes. n. 862 ad 2 die 8. Junii 1630.

Non solum Vicario non licere mutare festum alicujus Sancti, positum in Breviario certo die, ad alium diem, sed nec etiam ipsi Episcopo et propterea festum s. *Sebastiani* reponendum esse (a 26. Julii) ad diem 20. Januarii. n. 885 die 7. Decb. 1630.

Non permittit debere Ordinarium ut celebrentur nova Officia, quae non

sunt per Sedem apostol. approbata. n. 1570 ad 1 die 17. Novb. 1646.

Dedicacionis festi mutationem spectare ad Consecratorem in actu Consecrationis adeo ut extra ipsam non possit amplius immutari inconsulta sede Apostolica. n. 2873 ad 2 die 21. Jan. 1679.

Capitulum Pragense sine consensu Ordinarii contradicentis propria auctoritate festa ex antiquo ritu (in antiquo Breviario) celebrata promulgare in contemptum Ordinarii typis edere, publice affigere non potest cum ordinatione, quod dicta festa in Metropolitana observari debeant. n. 2682 ad 4 die 3. Mart. 1674.

Supposita moderatione Octavarum et aliorum Officiorum, quae secundario fiunt, prout expedit, arbitrio Ordinarii, ut diebus vacuis provideatur; quaeritur: Utrum Episcopus possit alia Officia, etiamsi ad aliam diem fixam sint translata, dummodo non sint de praecepto, mutare ipsisque noviter aliam diem ante vel post perpetuo assignare, prout Officiorum celebrationi magis expediat. Et si negative, supplicatur pro gratia.

S. eadem C. respondit ut infra: „Serventur Rubricae“.

Et ita decrevit. n. 4495 ad 4 die 1. Septembris 1804.

Petitur, quod festa SSrum., quae occurrunt in diebus, in quibus aguntur festa Titularium Eccles. paroch., sint simplicia ac etiam censeantur tamquam simplices dies octavae, in quibus occurrunt festa dupl. aliorum SSrum., ut de iis fiat tantum commemoratio, ne simplificentur Officia eorundem SSrum. et intervertatur Ordo Calendarii Diocesani. S. C. resp.: Negative, excepto casu, quod in toto anni decursu dies vacui deficerent pro eorum translationibus juxta rubricas et in hujusmodi casu, quoad diem octavae illius Officium retinendum esse

et simplificandum festum occurrens, licet majoris ritus et dignitatis, dummodo non sit 1. vel 2. cl. n. 4508 ad 3 die 9. Apr. 1808.

14) Lanceae Domini.

Ad dubium PP. Benedictin. Einsidlen: An Festum Lanceae sit approbatum ex indulto in Germania, et an Breviario Benedict. apponi possit, et an impediatur celebratio Feria VI. post Dominicam in albis quocumque Festo duodecim Lectionum?

S. R. C. resp.: „Affirmative ad utrumque. Impedita autem Feria VI. post Dominicam in Albis Officio novem Lectionum, transferatur ad aliam feriam VI. infra tempus Paschale tantum. n. 4044 ad Titul. X. dub. 4 die 5. Maji 1736.

15) Ad libitum.

Vd.: *Translatio; Sancti ad libitum; Octava; Concurrentia; Fest. ss. Nom. Jesu* (transl. decr. n. 4581 nota).

Festa ad libitum duplicia, si quae a S. C. concessa sub hoc ritu fuerunt, recitare posse in Dominicis non privilegiatis hoc est 1. et 2. classis, quando in ipsis occurrunt, nec obstare decretum die 2. Decb. 1673 emanatum. n. 2862 ad 1 die 7. Maji 1678.

Ad relationem: Cum a S. C. declaratum sit, quod, quando festa ad libitum occurrunt in diebus dominicis vel in festis mobilibus, non esse transferenda, sed pro illo anno omittenda, quaeritur: an, quando dicta festa ad libitum occurrunt eodem die cum aliis festis de praecepto, puta in die octava vel cum festo alicujus Religionis vel Dioecesis, debent dicta festa ad libitum omitti semper vel transferri in primam diem non impeditam; et sic hoc debet intelligi tam de festis dupl. ad libitum quam de semidupl. S. C. resp.: Festa ad libitum esse omittenda et non transferenda et hoc

intelligi debet tam de festis dupl. ad libitum quam de semidupl. n. 2972 ad 1 die 24. Jan. 1682.

Ad dubium: Utrum decretum de 24. Jan. 1681 prohibeat recitari Off. de Sanctis ad libit. non solum in die octava cujusunque solemnitas sed etiam in diebus infra octavam? S. C. resp.: Affirmative. n. 3521 ad 4 die 30. Maji 1699.

Officia SSrum. ad libitum incidentia in die imped. in perpetuum possuntne figi ab Ordinariis? Verumne est circa hoc decretum, quod citatur tamquam emanatum 20. Decb. 1703, revocans in hoc aliud decret. 24. Jan. 1682? S. C. resp.: Officia SSrum. ad libitum incidentia in diem perpetuo impeditam, si transferantur, non possunt figi perpetuo in alia die ab Ordinariis designanda, inconsulta S. C. n. 4119 ad 7 die 2. Sept. 1741.

Vd.: *Festum ss. Nom. Jesu* (transl. decr. 4581 ad 7 nota).

Officia ad libitum infra octavas concurrentia omitti debent, nisi aliter specialiter et expresse indulta sint a Sede apost., prout festum S. Elisabeth infra octavam ss. ap. Petri et Pauli juxta decreta 28. Novb. 1682 et 2. Oct. 1683; n. 3120 ad 6 die 20. Julii 1686.

Festa et Officia ad libitum concessa pro *universali* Ecclesia possunt etiam Benedictini recitare. n. 3222 ad 2 die 10. Junii 1690.

Ad dubium: An Officia Sanctorum ad libitum sive duplicia sive semiduplicia concurrentia in die, quo fieri debeat Officium de Dominica anticipanda ante Septuagesimam vel ante Dominicam XXIV. post Pentecosten, sint transferenda vel potius omittenda vel in die illa Officium praedicti Sancti ad libitum recitandum, et solum sit facienda commemoratio illius Dominicae?

S. eadem R. C. ad relationem Emi.

et Rmi. Dom. Card. S. Clementis respondendum censuit:

Esse omittenda Officia Sanctorum ad libitum.

Et ita declaravit. n. 3718 ad 5 die 4. Aprilis 1705.

Procurator gener. Ord. Minor. s. Francisci Reformatorem exponit, quatenus recenter concessa sunt quaedam SSrum. Officia, alia Urbis et Orbis, alia aliquibus Regnis Ditionibus Statibusque peculiaribus recitanda tum a saecularibus tum a regularibus, qui ad horas canonicas tenentur, quae concessionem exprimentur his verbis: „*recitari posse, fieri posse*“ et cum ex rubr. nostri novi Brev. Franciscani statuatur, ut quotiescunque fit haec expressio: „*recitari posse, fieri posse*“ nihil aliud intelligantur nisi Officia ad libitum; hinc petitur declarari: an praedicta Officia cum tali expressione expressa, si occurrant in die impedita ab aliis Officiis de praecepto Breviarii praedicti, non obstantibus decretis de non transferendis Officiis Sanctor. ad libit., a nobis possint transferri ad aliam diem, vel omitti debeant? S. C. resp.: Praedicta Officia acceptata, si occurrant in diebus impeditis, non reputari debere tamquam mera Officia ad libitum sed de praecepto adeoque esse omnino transferenda. n. 4078 die 6. Sept. 1738.

Regulares possunt recedere a recitatione illorum Officiorum ad libitum, quae fuerunt ab ipsis acceptata, quando satisfacere nequeunt Officiis proprii Ordinis. n. 4393 ad 19 die 27. Mart. 1779.

Juxta responsum S. R. C. de die 12. Nov. 1831 ad n. 39. Officia concessa alicui Regno, Nationi, Dioecesi, Civitati aut Oppido, si ob occursum aliorum Festorum celebrari nequeant diebus assignatis, juxta Decreta alias edita, vel omittenda vel imploranda facultas transferendi; quaeritur:

An hoc sit intelligendum de solis Officiis aut Festis ad libitum?

S. R. C. . . . rescribendum censuit:

„Specialiter intelligitur de Officiis affixis certis diebus, nimirum vel in Feriis vel in Dominicis“.

Atque ita rescripsit servarique mandavit. n. 4910 III. 1 die 13. Sept. 1840.

16) B. Mariae V.

a) De Consolatione.

Ad dubium: Dominicae I. mens. Julii assignatur Officium B. V. M. de Consolatione. Hac dominica impedita poterit transferri ad alterutram ex sequ. dom. ejusd. mensis vel omnibus imped. dominicis ad diem feriale? S. C. resp.: Transferri potest, si in Indulto facta est facultas et quidem assignata die; alias eo anno omittendum. n. 4859 ad 2 die 3. Aug. 1839.

Vd.: *Sancti ad libit.* (decr. n. 3051.)

b) Dignitas.

Vd.: *Officium B. V. M.; Septem dolor.; Rosarium; Vesp. de B. V. M.; Festum ss. Nominis B. V. M.* (non transl. decr. n. 4198); *Festum s. Cordis B. V. M.; Transl. festor. ejusd. rit. B. V. M.; Festum B. V. M.* (cujus ritus etc.)

Festivitates B. V. M., utpote: de Mercede, Desponsationis et aliae Hispaniarum regnis concessae celebrentur sub ritu dupl. minori. n. 3083 ad 3 die 2. Oct. 1683.

Officia desponsationis, 7 dolor., Rosarii, de Mercede, Patrocinii B. V. M. per indulta apostolica in omnibus Regnis et ditionibus catholico Regi subjectis, quando non explicatur qualitas ritus, an sit duplicis maj. vel minoris, intelligenda esse de duplici minori per annum. n. 3040 ad 3 die 20. Novb. 1683.

Officia B. V. M. nempe: Desponsat.,